PROPOSITIONES PHILOSOPHICÆ

IN SEMIN. PAT. PROPUGNANDÆ

A SEBASTIANO JULIO JUSTINIANO

SUB AUSPICIIS

PATRUI AMANTISSIMI

NICOLAI ANTONII JUSTINIANI

EPISCOPI PATAVINI

PRÆCEPTORE ET ADJUTORE

THOMA FERRARI

IN SEMIN. PHILOSOPHIÆ LECTORE.

TYPIS SEMINARII

SUPERIORUM PERMISSU

MDCCXCVI.

PROPOSITIO I.

EX LOGICA.

Deus princeps parens rerum, fabricatorque mundi nullo magis Hominem separavit a ceteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate .... Rationem nobis præcipuam dedit..... Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi, quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus..... Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille cælestis!

Quint. Lib. II. Cap. XVII.

Nunquam homines, si elingues aliquando fuissent, per se sibi lingua alicujus rationem constituere potuissent.

I. SI præclarum est, & valde laudabile, ut maxime quisque opis indigeat, ita eidem maxime opitulari, eos satis commendare non possum, qui miserrimos homines ex surditate prorsus elingues juvandi artem nostris hisce temporibus excogitarunt, & cum maxima etiam eorundem utilitate exercuerunt. Videre est infelicissimos homines, eadem ac ipsi nos præstantia, & dignitate naturæ, veluti infra ipsarum belluarum conditionem dejectos non hominum consortio frui, nec intima animorum sensa communiter omnibus indicare, nec quidquam ex ore similium colligere, nec suas omnes aliis necessitates aperire, nec quicquam ex aliorum sermone in suam utilitatem convertere, nec res secundas aliis communicare, nec adversas efficere largiendo leviores, non cer-

tis, ac voluntatem indicantibus vocum sonis, sed gemitu, clamore, ululatu opem implorare, & miserrimi potius infortunii sensum in aliis, miserationemque ciere, quam sollicitas domesticorum curas ad remedia, & allevationem præstandam allicere, justa ea quidem, sed tamen ignota de causa, non culpa vere calamitosos.

Quid commemorem ignorationem rerum plurimarum, ad vitæ commoditatem, cultumque valde utilium, quid præcipue in rebus ad Religionem spectantibus, & necessariis inscitiam, nisi (1) lux quædam superius affulgeat, quæ eorum animos illustret, eosque ad veritatis aspectum, atque notitiam traducat arcano quodam impulsu, ac penitus singulari? Quid imbecillitatem rationis ex defectu sermonis, quid proinde sensuum temere dominantium licentiam sopitis quodammodo rationis viribus, fractoque ejusdem dominatu, quid non experrectis facultatibus, quæ uno sermonis notiones illigantis

(1) D. Th. quæst. 14. de veritate art. II. de Fide ad 1. Idem in 3. Sent. dist. 25. quæst. 2. art. 1. ad 1.

tis usu cientur, evolvuntur, corroborantur; quid, inquam, stuporem ipsius animi in ipsa oris compositione, vultusque habitu eminentem, ex quo ab ipso vulgo habentur despicatui, eique deridiculo sunt? Quid cetera incommoda ex eodem fonte manantia non tacito doloris sensu commemorem, si prope quotidie, & in singulis terræ partibus nostros animos, oculosque contaminat aspectus tanti infortunii, tantæque calamitatis?

II. Ex ipsa tanti infortunii gravitate, ac pondere, quæso, cognoscite præstantissimorum virorum industriam, quæ potuit morbo tam gravi laborantibus, ac tacita quadam, sed efficaci ratione opem implorantibus subvenire, ac tale, tantumque naturæ vitium eximia arte, & opere prorsus admirabili superare conatu valde felici, optimoque successu. Potuit eorum oculos in rerum peculiarium aspectu, & in vocibus easdem significantibus detinere, eorumque animis extimas vocum formas, quasi rerum signa exhibere, atque sonos rerum convenientiam, vel discrepantiam significantes

 po-

ponere ob oculos, eosque sensim traducere ad sublimiora, & a sensibus magis remota; tum iisdem ulterius proponere oris motus quoslibet inter se dissimiles, qui ex una oris conformatione exsistunt in uno quolibet ad pronuntiationem litterarum, & iis similia plurima exhibere, & videnda subjicere: ex quibus brevi tempore factum est, ut elingues & aliorum sensa ex scripto colligere potuerint, & sua aliis scribendo manifestare non solum, sed dicta etiam ex oris motu dispari quid sibi voluerint perspicere, & motuum imitationem persecuti, quid ipsi senserint, aliis loquendo utiliter patefacere (1).

Si rerum quarumcumque dignitatem ex earum utilitate metimur, quanti habenda sit ars isthæc non satis reperio, quæ in uno hominis emolumento occupata humiles homines, & abjectos erigit, & in sui dignitatem restituit, dicendi facultatem ea carentibus largitur, eosque informat ea in re,

qua

(1) Encyclopédie Méthodique, Arts & Métiers Tom. V. part. I. *Art d'instruire les Muets & Sourds.*

qua una homines maxime brutis animantibus antecellunt, quamque parare nunquam ipsi sibi potuissent. Atque hoc nimirum, aliis alia opinantibus, persuasissimum nobis est, & demonstrare suscipimus, nimirum homines, si elingues initio exstitissent, nunquam per se potuisse ad linguæ dignitatem assurgere; ex quo legitime inde oportet agnoscere Deum naturæ Opificem sapientissimum, & Præceptorem scientiæ, Largitoremque sermonis.

III. Ea est humani animi corporeo quasi carcere inclusi, ac veluti compage adstricti constitutio, ut ipse cognitionis cujusque prorsus expers, & omnium ignarus omnino in lucem prodeat, nec vires suas possit exerere, & per se se ad scientiam assurgere, nisi sensim primas rerum notitias a sensu accipiat, & ideo peculiaria primum usurpet, & ad ea inde perveniat inditarum facultatum ope, quæ ab hisce externarum rerum nunciis licet aliena, ab iis tamen originem quamvis remote habuisse, & ad eosdem propterea aliqua saltem colligatione, & affinitate pertinere manifestum est, & persua-

suasum ultro omnibus rem vel prima fronte intuentibus.

Poterit ille corporeis vinculis aliquando solutus, & expeditus libere plurima per se agere, quale quidque sit perspicere, nova, arcana, a sensu alienissima intueri, & rerum cognitione, & scientia vigere, etiam exstincto corpore. Quid in altera vita futurum sit, non quærimus; quomodo se se res habeat in præsens, in comperto omnibus; & illud jure ac merito proverbii loco esse, & fuisse semper intelligo apud omnes: nihil scilicet esse in animo, quod ad sensus aliqua saltem ratione non pertineat.

Qua in re si quis dubitet, vel subtiliores humani ingenii notiones, scientiarum principia ab una vi mentis, & rationis constituta, omnia uno verbo omni in genere cogitata, inventa, ausus, artes, disciplinas cursim inspiciat; & luce clarius appareat nihil esse in hominis cognitione, quod non a primis sensuum notionibus, serie non interrupta notionum sibi invicem succedentium, alia aliam serente, dimanet.

IV. Ac ut ea, quæ hactenus exaravimus,

ad

ad rem propositam traducamus, quid est in rerum natura, quod per sensus se se infundat in animum; & linguæ alicujus naturam proponat, vel saltem linguæ alicujus suspicionem inducat? Quam viam insistat animus in sermonis excogitanda ratione, & scientia? Quî ad linguam colligando notiones, easque componendo, separando tandem perveniat? Quo se vertat, quidnam sibi ante aciem mentis constituat, quo lumine utatur, quodnam tanti operis fundamentum ipse sibi proponat, ecquem sensum in consilium ad inveniendam linguam adhibeat? Sive (ut ad rem aptius, & commodius loquar) ecquis sensus est, qui in linguarum inventione animo facem præstet, ad eandem animum erigat, & certa eidem, tuto quibus utatur, præsidia suppeditet?

Profecto si quis sensus est, ad quem ratio linguæ pertineat, ne omnes singillatim recenseam enumeratione non necessaria, aures sunt, quarum in vocibus, in sonis, in cantibus superbissimum judicium est. Ad aures itaque parumper animum, & orationem convertam, & quid sit ab iisdem exspectandum intuear.

Equi-

Equidem initio statim asseveranter contendo, posse quidem aures orationis asperitatem sentire, vel mollitiem, suavitatem dignoscere, & quodlibet vel vitii, vel ornamenti genus distinguere, & de lingua non inepte judicare, & in ejusdem cultu etiam animos detinere, nunquam vero elingues ad cogitandum de lingua traducere, nec animos inveniendæ, stabiliendæque linguæ quasi fundamentum proponere. Aliud est constitutæ jam linguæ alios, atque alios cultus, formasque adhibere, & de vocum, & orationis sono judicare, aliud de intima linguæ natura cogitare, atque ad aperienda animi sensa in linguæ alicujus cognitione, studio, & subtilitate versari.

V. Linguæ vis, ac natura non in concinno vocum sonitu posita est, nec in verborum aures titillantium impulsu, & actione consistit. Aliquid profecto est ipsi aeris agitationi dissimile ad res quasque pro arbitrio significandas aptissimum, intime nescio quam vim, & efficacitatem præ se ferens, ab aurium judicio distinctum, cum eoque non valde conveniens, nulla ab eo ra-

ratione pendens, ab eoque omnino diversum.

Ea vis est, ratioque sermonis, ut longe, multumque distet ab ipso vocum in aures impingentium strepitu intime comprehensa, & iisdem vocibus illigata significatio, ita ut nequeat animus, si in sono vocis consistat, ad linguæ cujusdam inventionem pervenire. In verborum sono si quis plus æquo se se detineat, sententiam, vimque intimam non satis assequatur, quæ ad unam pertinet aciem mentis, & rationis acumen & intelligentiæ desiderat.

Potuisset animus, aurium vestigia, & notiones persequens, voces, & sonos varios suaviter flectere, eosque moderari jucunditate incredibili, temperare multimodis, ad omnem etiam sonorum, & vocum dignitatem, supra quam credibile est, assurgere, cantus dulcissimos edere, avium melos imitari, & ceterorum animantium in voce varietatem sibi assumere, & in simili genere speciem progressus admirabilis exhibere, non equidem dubito: at ne suspicari quidem de lingua, cujus sonitus certam rationem non ha-

habet, nullamque affinitatem cum eo, quod intime verba significant. Aliud profecto est de sono loqui, aliud de sensu, & significatione verborum. Quod vel leviter cogitanti, & ad mentem se se revocanti esse debet omnino perspicuum.

VI. Verum de iis, qui linguæ cujusque expertes linguam sibi parere debuissent, disserenti, & momenta inde ad rem colligenti, illud accidit per mihi incommodum, quod cum lingua ipsi simus, & sermone, liberali summi Numinis beneficio, locupletati, ea, quæ ipsi usu, & diutina loquendi consuetudine in re cognoscimus, ad eos, qui elingues omnino exstitissent, traducimus, eosque putamus sine ulla linguæ notitia ex nostris notionibus ratiocinari. Si parumper quis posset eorum conditionem induere, is fortasse a nobis argumenta non valde desideraret; res ultro ipsi vel sine ratione se se manifestaret. Est aliquid lingua uti ad disserendum de primis linguæ inventoribus.

At quo modo cumque se se res habeat, illud certum est, animum, si ipse in linguis etiam inventis plus æquo concentui indul-

geat,

geat, ac serviat, sæpe labi, contraria ponere, significationem negligere, ad inania descendere, perturbare intimam rationem linguæ, ignarum quid ipse effutiat. Judicio, & ratione maxime eget vel usus ipse linguarum; & omnis labor in linguæ, & sermonis cultu, ac omnis difficultas in eo est, ut suavitatem dicendi cum apta sententiarum distributione concilies, ut nec suavitatis aucupium sensum negligat, nec significandi studium suavitatem sermonis contemnat.

Sensus itaque vocum, iterum, & sæpe dicam quod ad rem valde facit, est aliquid, quod ab alio, quam ab aurium fonte dimanat, est aliquid, quod ad unam rationem pertineat; ex quo factum jure est, ut & apud veteres, qui linguæ naturam cognoverint, & nuperos etiam rei non imperitos, sermo, & ratio unum sonent, & juxta habeantur.

VII. Hinc bruta animantia voces quidem possunt ad morem hominis longa exercitatione auribus exhibere, sententiam vero nunquam verborum arripere, & assequi, nunquam apte loqui ad rem. Rationem sermo

mo desiderat, in quam cadat: sine ratione sermonis usus nunquam habebitur. Eadem tamen ratio, quæ ad usum aptissima est, imo necessaria, ad linguarum inventionem, affirmate contendo, non sufficiet, cum semper ad novi aliquid inveniendum a sensu accipiat, sensu indigeat, cumque nullus sit unquam sensus, qui habeat aliquam cum intima linguæ ratione colligationem, & ideo nequeat animo linguæ desideria movere, & ad linguæ cogitationem eundem excitare; cumque postremo animus nihil inveniat, nisi cogitet, cumque prorsus ignoti nulla sit cogitatio, nulla omnino cupiditas. Casu fortasse homines terminatas voces fundere potuissent; sed eas non secus ac sonos reliquos habuissent ad significandas animi affectiones accommodatos; nunquam vero illos referre potuissent ad linguæ, ac sermonis rationem, cujus ne suspicio quidem.

Cognita profecto natura animi, quæ a sensu notionum fundamenta necessario requirit, ut possit inde assurgere ad scientiam, quæque cum in sensu nihil reperiat, ex

quo

quo possit in sermonis alicujus cogitationem pervenire, nunquam poterit ne cogitare quidem de lingua; cognita, inquam, natura animi, ut novum inde momentum exsistat ad id, quod volumus, ostendendum, ad linguæ cujusque naturam animum, cogitationemque convertite . . .

VIII. Ea profecto, ut etiam ex iis patet, quæ antea diximus, & ut colligere facile per se quisque potest, ea, inquam, est natura sermonis, ut nullam sentiat cum rebus, quas verbis illigamus ad significandum, colligationem, ac veluti affinitatem. Melius dicam, & aptius. Non est in rebus quo res quælibet vocis sono, quo nomine significetur. In hominis arbitrio est alia aliis indicare vocabulis. Ex pacto, & conventu fit, ut inter nos loqui possimus, & quod velimus per voces significare. Rem nullam omnino reperias, quæ unam præ alia vocem sibi jure vindicet, unum præ alio nomen desideret, & ad se pertinere arbitretur.

Hominis quidem sollertia pro varia rerum dissimilitudine dissimiles vocis sonos,

& aptos, & convenientes rebus accommodat; nihil est tamen in vocibus, quod cum rebus aliqua colligatione teneatur, quod ad res necessario pertineat. Verum enimvero ſi tota ratio res signandi per verba in hominis ipsius arbitratu consistit, nunquam homines potuissent in rebus aliquid reperire, quod eos ad linguas cudendas, instituendasque traduceret.

Qua igitur ratione ab homine elingui lingua poterat inveniri, si omnis inventio ex aliquo notionum fundamento debet exsistere? Quî de linguæ institutione poterant homines cogitare, qui a rebus, quas ſensibus usurpamus, nihil ad inveniendam linguam habuissent non solum, sed nihil etiam in iisdem reperire potuissent, quod in eorum animis linguæ alicujus cogitationem excitaret? Non a sensu igitur, nec a rebus, si quis velit recte sentire, inveniendæ linguæ initia, viam, & rationem exspectet, sed in inventæ, formatæque linguæ usu, & scientia se habere sentiat, quo possit res quaslibet significare, colligare notiones inter se, orationem inſtituere, flectere, moderari.

IX.

IX. Si lingua aliquando homines caruissent, notiones habuissent a sensibus, resque motibus quibusdam, gestu, quo abundat facilius natura, indicassent, sonos etiam adhibuissent vel strepentes, vel aliqua ratione finitos singularia indicantes, & monitoribus quibusdam signis essent usi; quæ omnia, & similia his, sensu terminata cum sint, possunt a sensu exspectari, nunquam ad linguæ formam, scientiamque, quæ a sensu haberi non potest, neque ad eloquendum assurgere potuissent.

Est aliquid profecto linguæ ratio, & inventum sui generis, suæque naturæ ad res indicandas opportunum, nunquam a notionibus dissociatum, nulla tamen cum notionibus necessitate devinctum. Possunt nimirum homines explicare notiones ope verborum; non possunt in notionibus habere aliquid, cujus præsidio linguam arguant, deducant, inveniant.

Quod si recte sentio, non secus ac cetera quæ sunt, ipsamet etiam linguæ ratio mentem quandam effectricem, rerumque opificem requirit, quæ principiis non egeat

ad nova efficienda, sed ad id, quod vult, peragendum infinita virtute polleat, & rationem omnium in suæ naturæ efficacitate, & præstantia contineat. Ad Deum inventorem, ac magistrum sermonis natura nos traducit, quæ ab homine nequit unquam cognosci.

Quod ut unicuique se se ostendat apertius, se unusquisque velut omni lingua, otius, & scientia spoliatum parumper consideret. Difficile, fateor, id a nobis posse omnino præstari, qui usu linguæ valemus, qui ne cogitare quidem de lingua possumus sine lingua. Sed mente, & ratione id tamen veritatis inspiciendæ causa fingamus.

Nobis modo omni sermonis usu carentibus quæ via se se aperiat linguæ inveniendæ videamus, quam sequi possimus. Quid nobis consilii capiendum est, quo animus se convertet, ut prima linguæ fundamenta constituat; quæ in nobis oriri potest linguæ alicujus cogitatio, quæ suspicio, cum omnis notio linguæ ab ipsius linguæ cognitione dimanet? Magnum aliquid est a notione re-

rum

rum ceterarum valde remotum loquendi ratio ab altissimo principio repetendum, uni rationi siquidem accommodatum, cujus inventio hominum rationem vincit, quæ propter rerum intimam colligationem a notis arguit ignota, quo qui utuntur, ii certe longe præstant brutis animantibus. „ Sed „ assiduitate quotidiana, & consuetudine o„ culorum assuescunt animi; neque admi„ rantur, neque requirunt rationes earum „ rerum, quas semper vident: proinde qua„ si novitas nos magis, quam magnitudo „ rerum debeat ad exquirendas causas exci„ tare (1) „.

Sed redeamus ad id, unde divertimus; ac ut lucidius pateat quod volumus, ne pigeat in linguæ contemplatione versari.

Illud animadverto, nullam esse linguæ vocem, quæ ſententiam aliquam animo eandem percipienti non exhibeat, quæque aliquid in se notionis reapse non ferat præ se. Stare nequit linguæ institutio, ratio, natura ſine notionibus, quamvis a notioni-

(1) Cic. de Nat. Deor. lib. II. cap. xxxviii.

bus ipsa, ut vidimus, nequeat exsistere, & sit aliquid a notionibus dissimile. Nunquam certe linguæ voces singulas a notione, & rei alicujus significatione disjunctas reperias.

XI. Qua ex re bene perspecta aliquid elucet, quod sententiæ, quam defendimus, non parum lucis, & veritatis adhibeat. Verum, ut necessaria præmittam, non eas voces intelligo peculiaria indicantes, quæ minimam in re partem, & faciliorem constituunt, in quibus vere, ac proprie haudquaquam linguæ vis, & natura tota consistit, sed partes omnes orationis intelligo, quibus non res solum peculiares sono aliquo significamus, sed acceptas etiam a sensu notiones comparamus, dividimus, copulamus, vel rerum genus, formas, affectiones, proprietates, naturam vocibus illigatam animo exhibemus, ut ipse animus facile secum loquendo ad cognitionem rerum multiplicium assurgat.

Vocem itaque nullam unquam habeas, cui revera nulla sit subjecta sententia, nec cogitare verba potes, quæ notionibus non adhæreant, & cum iisdem non conjungantur. Immo in eo sita est linguæ vis tota, ac

tota

tota ratio, ut voces habeat ſemper aliquid indicantes. Si nihil verba sibi velint, non ea ad linguæ formam, & notitiam pertineant, sed ea ad inane murmur, ad aeris strepitus, & sonos inutiles amandemus.

Non igitur lingua inventa eſt ad notiones significandas, quæ antea erant in animo sine vocibus, sed cum ipsa notiones in se contineat, simul cum notionibus est ediscenda, ut inde notiones, quas secum habet, indicet, & patefaciat. Nec possumus linguam a notionibus dissociatam, separatamque cognoſcere, & cogitare, nec deduci ipſa poteſt a notionibus, & rebus accommodari inventis antea, & cognitis, sed oportuit una cum ipsis notionibus inseri animo, & infundi, & pari passu utrumque procedere, & ad perfectum hominem utrumque conſpirare, quod in alios postea sensim docendo effunderetur.

XII. Non potuere notiones linguæ institutionem, nec linguæ institutio notiones antevertere. Si sine lingua notiones habuissent elingues homines, de lingua quî sine lingua cogitassent? Sentio me in re subtili

versari, in qua facilius videat quid sentiendum qui serio cogitet, quam quod possim verbis ostendere; in qua summopere necessarium est a nobismetipsis, qui usu linguæ pollemus, ad homines linguæ cujusque expertes mentem, animumque traducere.

Quod si rebus novis nova nomina imponimus, non ideo dicendum est nos voces habere sine notionibus; sed cum jam teneamus animo rationem linguæ, a re una verba ad alias transferimus propter similitudinem, eodem etiam nomine, aut simili aliquo, similia indicamus, verba invicem aliquando componimus duplici rei aspectu ducti, & a propria significatione ad res similes, quæ occurrunt, notandas verba secum juncta traducimus. Et hoc est nimirum linguæ usus indicare, est etiam demonstrare quo modo ex una sensim lingua aliam sibi cudere potuerint homines, & formare, non vero quo modo primum potuerint ab omni linguæ ignoratione ad linguæ alicujus notitiam, & cognitionem pervenire.

Ac porro si nequeunt, ut asseveranter contendo, sine sententia verba, ac generatim lin-

linguæ natura consistere, qua ratione potuerunt homines ex ſuis notionibus ad linguæ inventum aſſurgere, eidemque poſtea notiones antea habitas accommodare, si lingua ea dici vere non possit, quæ careat notionibus? Non potuerunt igitur homines linguam ſibi excogitare, & fingere ad res inde significandas; tunc enim lingua exstitisset sine notionibus, quod alienum; nec ope notionum ad linguæ cognitionem assurgere, cum loquendi ratio notiones præportet, ac pariat, nunquam ea possit a notionibus emanare, ut cuilibet rem bene intuenti elucet abunde.

XIII. Ex quo legitima conſecutione deducitur; non ab homine, qui ex aliis alia deducit, inveniri lingua poſſe, ſed ab eo, qui omnia e nihilo educit, qui nec causa, nec principio eget aliquo ad agendum, sed in se omnium principium, & rationem continet, & vere, ac proprie ratio ipse eſt rei cujusque. Sermonem opus erat ab eo constitui, & formari, & homines inde doceri, ut possent habere cum lingua notiones, & linguam cum notionibus communicare cum

aliis,

aliis, & cogitando loqui, cogitare loquendo, & ita a rerum aspectu ad nova deducenda ope sermonis transferri, & in sententia, ac rerum plurimarum cognitione versari.

Sed, ut clarius se se ostendat veritas rei propositæ, fingamus parumper homines ratiocinando ex notionibus suis linguæ primum notionem aliquam hausisse, eamque sibi deinde opere, studio, industria formasse, locupletasse, expoliisse. Quî id fieri potuisset indagemus. Qua in re plura sunt admodum intricata, & dictu faciliora, quam explicatu.

Quî primum, percontor ego, potuerunt muti homines de lingua vel cogitare, qui verba nunquam audierint, qui sensu primum ad notiones trahebantur, & inde nonnisi similia iis, quæ aut vidissent, aut auditione accepissent, aut aliquo sensu usurpassent, conari, invenire, efficere, ita ferente hominis natura, potuissent?

Difficile admodum satisfacias nisi inconsulto notiones, quas habeas, ex diuturna linguæ assuetudine ad mutos homines, &

plane

plane elingues unco veluti impacto traducas. Hinc profecto qui facultatem linguæ inveniendæ homini impertiunt, non viam nobis aliquam detegendi sermonis demonstrant, nec docent quomodo invenerint: sed sermonis utilitatem tanquam rei explicandæ perfugium exaggerant. Qua in re minus apte se se habent, & longissime errant a veritate.

XIV. Quæ linguæ utilitas, quæ ex uno linguæ usu cognoscitur, poterat homines linguæ ignaros ex omni parte ad rem ignotam, ad rem, quæ ne in suspicionem quidem caderet, invitare, quæ necessitas impellere, quæ voluptas allicere? Quæ res unquam, quod principium, quæ notio, quæ antea audita vox poterat homines illos ad linguæ studium erigere, & in cogitationem linguarum defigere?

Si qui præterea finitis vocibus fortuito essent usi, cum nihil admodum de lingua suspicarentur, finitæ linguæ voces perinde habuissent, ac ceteros animalium sonos, nihil ulterius solliciti. Sed jam, nescio quomodo, de lingua cogitaverint.

Qua

Quo unquam modo ad eam inveniendam sine lingua convenire potuerunt, quo modo rem proponere inter se, quo modo re proposita suas invicem notiones communicare, quo modo vel omnes, aut saltem plures ad tantum opus incumbere, quo modo alios eam inventam docere? Hæc profecto, quæ inenodabilia sunt, & torquent acriter animos secus opinantium, & sententiæ, quam propugnamus, non mediocrem lucem adhibent. Vidit id Lucretius. Ipsum ne vos pigeat audire.

„ Proinde (ait ille) (1) putare aliquem
„ tum nomina distribuisse
„ Rebus, & inde homines didicisse voca-
„ bula prima,
„ Desipere est; nam cur hic posset cuncta
„ notare
„ Vocibus, & varios sonitus emittere lin-
„ guæ,
„ Tempore eodem alii facere id non quisse
„ putentur? . . .
„ Præterea si non alii quoque vocibus usi
„ Inter

(1) Lib. V. v. 1040.

„ Inter se fuerant , unde insita notities est
„ Utilitatis , & unde data est huic prima
„ potestas ,
„ Quid vellet facere, ut ſcirent, animoque
„ viderent ?
„ Cogere item plures unus , victosque do-
„ mare
„ Non poterat, rerum ut perdiscere nomi-
„ na vellent ,
„ Nec ratione docere ulla , suadereque
„ ſurdis ,
„ Quid facto eſſet opus ; faciles neque
„ enim paterentur ,
„ Nec ratione ulla ſibi ferrent amplius
„ aures
„ Vocis inauditos sonitus obtundere frus-
„ tra .

Et ſane qua ratione convenire de lingua, qua doceri lingua posset apud eos, qui lingua utuntur, non est captu difficile; quomodo id ii præstare potuerint , qui sermonis scientia essent penitus destituti , non queo, ut verum fatear , satis ipse perspicere.

XV. Estne unius hominis opus inventio ſer-

sermonis? Si unus sit, qui primus in linguæ inventione elaboret, non est necesse, ut cum aliis conveniat, sed oportet, ut eam jam inventam alios edoceat, & in communes inde usus traducat. Facilius siquidem ab uno homine repeti potest linguæ ratio: ab uno potuit inveniri facilius, quam a pluribus in unum convenientibus.

Verum præterquamquod ſive ab uno lingua exsistere debuisset, sive a pluribus, iisdem subjicitur difficultatibus, quas indicavimus ſuperius, adhuc tamen nemo unus potest, nisi secum tacite loquatur, & reputet animo totam linguæ rationem, res, & notiones nominibus quasque suis insignire, & certis vocibus illigare, semperque fit, ut ad linguam inveniendam linguæ usus necessarius esse videatur.

Quî linguam ſine lingua invenire, quî voces rebus aptare sine lingua? Qua ratione ex notionibus linguam deducere, quæ sine notionibus stare nequit; quo rursus modo ex notionibus linguam arguere, quæ aut ad notiones est necessaria, vel secus? Si porro necessaria, notiones ideo haberi

non

non poterunt ſine lingua ; si aliter, neceſsaria igitur non fuit apud eos præcipue ; qui sine lingua notiones habuissent, quique una cum lingua omnia linguæ emolumenta penitus ignorassent.

Quæ diximus, quæque dicturi ſumus, abunde cognoscet quanti sint quicumque parumper intendet animum, & mutos homines sibi objiciat, non vero ex se velit de re judicare. Rem urgeamus ulterius.

XVI. Potuerint primum elingues homines sono aliquo vocis finito peculiaria indicare: quomodo eorum inter ſe diſcrimen, proprietates varias, affectiones, eaque omnia, quæ generatim, & a sensu remote considerari possunt uno verborum ea indicantium præsidio, quæque a rebus sejungi, & in se spectari non possunt, immo nec in animo haberi sine vocibus, quomodo, inquam, hæc omnia elingues notare potuissent per verba, quæ solis vocibus apte traduci possunt ad animum, & in animo haberi ope verborum tantummodo? Quomodo linguæ rationem omnem uno verbo inveniant, ac firment, si lingua una sit, quæ possit sui

scien-

scientiam nostris animis patefacere ? Quomodo de iis agere inter se sine vocibus, quomodo inter se de lingua convenire sine lingua ? Id fieri non posse intelligimus. Hæc, quæ subtilia cum sint, confundi magis dicendo possunt, quam illustrari, ad animum quisque revocet, serioque perpendat, ut ferre possit non alienum a veritate judicium. Ad planiora, quæso, veniamus; & primos elingues homines ad rem validius confirmandam inspiciamus.

Si profecto homines rerum ignari, lingua expertes, hebetes, & obtusi exstitissent, sine lege, sine lingua, sine excellenti quodam, divinoque principio, & effectore sapientissimo, qui hominem in sua dignitate constituisset, & omnia ultro largitus esset humanæ convenientia naturæ, notitias primas quidem habuissent a sensu, quas corporeis, ac physicis quibusdam motibus, ac sonis ipsi sensuum impulsui respondentibus facilius, & suæ ipsi naturæ magis congruenter indicassent, quin eorum afficeret animos linguæ alicujus non solum cogitatio, sed ne minima quidem suspicio.

XVII.

XVII. Senſus non habet aliquid commune cum lingua, nec ideo a sensuum notionibus potuit exsistere. Elingues aut similitudine motuum, quos rerum aspectus excitasset, aut gestu rei perceptæ lineamenta, & imaginem aliquam exhibente, res, quas sensu habuissent, denotassent, aut alia non dissimili, eaque facili ratione, ac via. Hoc equidem non gravate concedo, & hoc est, quod per se natura valet efficere. At loqui, & linguæ usu vigere per se se non item.

Quis viam aliquam indicet, ac aperiat, rursus interrogo, quam potuerint olim insistere primi linguarum inventores? Tale, tantumque inventum homini tribuendum non esse contendam, & nisi, qui secus putant, viam aliquam aperiant, quam inire potuerint elingues; id ipsum homines præstare non posse, nec ad eos ullo pertinere modo posse, defendam.

Nam si ipsi nos, quamvis notionem sermonis habeamus, quomodo elingues linguam sibi parere potuerint, intelligere non possumus; eos vim sermonis nec invenisse,

nec invenire potuisse legitima quasi consecutione deducitur.

Majus aliquid est opus, & ratio sermonis, atque præstantius, quam ut a sensu non solum, sed etiam quam ut ab homine possit ejus inventio, & excogitatio exspectari; in rerum maxima subtilitate consistit, notionibus continetur a corpore abstractis, & corpore omnino expertibus, mentis acutioris vim, & sollertiam efflagitat, nec nisi ab uberrimo scientiæ quasi fonte dimanat. Qua in re quicumque velit vel cursim in sermonis cogitatione versari, non iverit is certe inficias.

XVIII. Nemo potest, licet sermone utatur, ad locupletem linguæ notionem sine lingua assurgere, multoque minus eam poterit sine multa, exquisitaque aliqua scientia primitus invenire.

Si lingua ab homine fuisset excogitanda, & elicienda, ea certe ab ingenio aliquo eximio, illo quidem diutinis meditationibus exercitato, altissimis, & purgatissimis principiis exaggerato exstitisset. Quomodo sine lingua ad scientiam, & rerum plurimarum,

ac

ac ſubtilium cognitionem pervenire potuisset ? Sed hæc in præsens omitto, quæ tamen & tempore & loco in aperto ponenda sunt. Quamquam ex iis etiam, quæ superius de lingua exaravimus, nonne manifestum est, homines sine lingua in maxima rerum ignoratione versari ? Sed hæc, inquam, omitto. Properare cogor ad alia, ex quibus id ipsum appareat.

Porro si quis ſine lingua tantum sibi scientiæ comparasset, quid ei lingua, & sermone opus esset ? Nimirum, inquiet aliquis, ut posset cum aliis sua communicare. Communicasset sua, qua ratione potuisset, cum aliis, dum ratio communicandi per linguam ab una linguæ cognitione, usuque innoteſcat. Eam aliis dicendi viam indicasset, quam ipse sine lingua iniiſſet. Quid unquam optasset sua aliis per linguam patefacere, qui una cum lingua linguæ commoda penitus ignorasset ? Quomodo suspicari de lingua, quomodo sua sermone indicare aliis, qui in omni rei tantæ inſcientia versabatur ?

Ut quis ſermonis commercium concupis-

cat, sermonem ipsum cognoscat oportet. Quicumque utilitatem, vel præstantiam, vel necessitatem loquendi exaggerat, næ is mihi videtur ad eos, quos lingua penitus latuisset, ea referre, quæ ipse ex usu quotidiano de lingua cognoscit, & ex ipsa linguæ scientia de omni ejusdem ignoratione judicare, quo nihil ad veritatem rei detegendam esse unquam potest ineptius.

XIX. Ex ipso sermonis usu utilitas sermonis elucet, & ope sermonis judicatur. Sermo unus rerum vel latentium, vel ignotarum emolumenta commendat, quo qui careat, rei cujusque præstantiam ex ipsius rei præsentia, & familiaritate, & tractatione cognoscat. Ac ut utile esse aliquid, quod sensu nunquam attigimus, nobis aliquis manifestet, aut oratione utatur oportet, aut id totum sensibus objiciat, ac patefaciat necesse est. Nihil possumus aut colligere ab aliis, aut ipsi cognoscere, nisi res ipsa ad sensus propius accedat, & a sensu ad animum, & ad cogitationem perveniat.

Quamquam a primis hominibus lingua desti-

destitutis non solum linguæ utilitas erat ab ipso rerum aspectu, & proxime a sensu colligenda, sed omnia ea etiam eorum sensibus subjicienda erant, & ad sensus revocanda, quæ didicissent, & sensili aliqua imagine objicienda aliis, ut eos docerent, aut ex sensuum judicio colligendum inde, quod proxime a sensu exsistit, semperque ideo in rerum imaginibus, & physicarum rerum aspectu detinenda esset facultas ratiocinandi, quæ libere non potest a sensu discedere nisi ope verborum, & orationis, quæ rerum notiones exhibet animo sine rebus ipsis, efficitque ut ea ipsa, quæ a sensu sunt, sine sensu habeamus, & ea uno mentis acumine a rebus ipsis sejuncta, & separata consideremus.

Ex quo in proclivi est intelligere, assurgere animum altius, a sensu se revocare, disciplinarum sibi principia constituere, ac subtilia, & a corpore abstracta cogitare, pervenire ad scientiæ notionem sine lingua non posse, & propterea elingues non solum linguæ emolumenta ignorassent, & omni linguæ vel suspicione caruissent, sed rerum etiam

plurimarum, & utilium ignoratione miserrime contabuissent.

XX. Lingua est aliquid, quam qui ignorant, plurima ignorent necesse est in pluribus hebetes, & obtusi. Quod quidem ratio ipsa ostendit, luculenter etiam confirmat experientia.

Quotus itaque quisque est, qui aliquem ab ortu surdum omnino, ac propterea mutum non agnoverit, & ipse etiam non aspexerit, aut non acceperit ex historiæ monumentis alios in locis silvestribus sine lingua fortuito deprehensos, vel data opera longe a societate, & ab omni sermonis doctrina altos, & educatos, qui nunquam finitos sonos effundere potuerunt, sed gemitus tantum edere, mugitus, ululatus, quos vel natura expressit, vel docuit belluarum consuetudo, quique præterea ad sensum omnia referre consueverunt, & nulla scientiæ unquam præbuere, sed eximia tantum, & in hoc valde luctuosa stupiditatis indicia, quamvis surdi homines, & ideo elingues degant cum ipsa societate conjunctissimi, & ideo possint aliquid ab aliis colligere, possint

sint etiam de lingua suspicari, cum videant alios plura ex alterius ore cognoscere, & oris unius motu, & communione invicem teneri, doceri, sociari? Sic tamen cum aliis vivunt, ut (id, quod sequius sit, cum dolore commemoro) ut, inquam, stultitiæ suæ colligant quamplurimos testes; ex quo duplex oritur rei ostendendæ ratio.

XXI. Porro si elingues etiam, qui nobiscum versantur, linguam ab aliis nunquam discunt, nunquam loquuntur, si propter linguæ defectum tardi sunt, & ad cogitandum, discendumque impediti, quid de iis nobis dicendum sit, qui primum exstitissent omnes sine usu sermonis, quidque judicandum de iis, qui ab homine elingui linguæ inventionem repeti posse defendunt, equidem non reperio.

Quod si homines, qui lingua carent, ideo rationis ipsius, & ceterarum facultatum impeditiorem habent usum, nonne in homine elingui, & ideo sensibus mancipato sensuum quotidie magis licentia se se projiceret, atque proriperet, mentis minueretur imperium, sensibus animus servire cogeretur, & ideo

in pejus rueret hominis natura, in majorem semper ignorationem, & in dies funestiorem deflecteret, in omne scelus impune vergeret, ratione non reclamante, sopitis, aut saltem non evolutis primis naturæ igniculis, & in omnem cujusque generis barbariem degeneraret non sine maximo humani generis infortunio, & maxime lacrymabili?

Cogitate cum vestris animis quanto sint in errore, qui hominem sibi proponunt sine Deo primum editum in lucem, & existimant sensim semet ad artes, ad scientias ad bonos mores, ad cultiorem vitam, & ad reliqua politioris societatis officia excoluisse. Hæc ipse prætereo. In re sumus, ex qua plurima exsistunt utilia ad veram hominis originem cognoscendam, & ad refellendos errores, & sycophantias hominum de ipsius hominis origine absurda cogitantium. Sed eo se vertat oratio, unde digressa est, & ex ipsius linguæ natura, vi, præstantia aliquid ulterius eliciat, quo res majore in luce collocetur.

XXII. Profecto qui loquendi munere destituti sunt, non solum ad scientiarum funda-

damenta cæci, sed in iis omnibus, quæ proxime non adhærent sensibus, mihi videntur misere cæcutientes. Quî porro linguam sibi aperiant, si eandem jam inventam ut apte possimus examinare, ac perpendere, summa opus est, exquisitaque ratione, cum jam ratio linguarum alienissima a sensu sit, (ut antea ostendimus, & ut quisque potest intelligere, sive linguæ cujusque simplicissima elementa, numero paucissima, voces pæne innumeras componentia, captu facillima consideret, sive vocum multiplicium vim intimam, significationemque perpendat) cum jam, inquam, ratio linguarum nihil habeat præter inanem sonitum commune cum sensibus, & in maxima rei subtilitate consistat?

Nolo, ne multus videar, partes singulas orationis recensere, & ad trutinam revocare, easque singillatim omnes ponere ob oculos; eas, si lubet, sibi quisque proponat, easque ad examen revocet, ut inde colligat, & abunde perspiciat non esse sensuum, sed magni ingenii, abstractæque a sensu cogitationis in linguæ natura, & cogitatione versari.

Ne-

Neminem esse confido, qui vel leviter linguæ naturam noverit, partesque orationis perspexerit, et non plane, aperteque sentiat nullum inventum esse apud homines, quod ad rationem magis pertineat, quod magis hominem a sensuum consuetudine abducat, & acutiorem mentis cogitationem expostulet, quam sermonis inventum. Neminem esse puto, qui vel cursim linguæ usum cognoverit, & non sentiat ad rationem omnino linguarum naturam ita pertinere, ut ii linguam solum possint ediscere, eaque uti, qui ratione præditi ceteris præstant animantibus.

XXIII. Verborum quidem notas stilo exaratas intuentur oculi, accipiunt aures inanes sonos aeris impulsu excitatos; at nisi mentem adhibeas, vimque rationis, quid sibi verba velint minime assequare. Orationis, verborumque intimam significationem una mentis cogitatio sentit, librat, expendit, & quod in illis continetur, quodque enuntiatur, intelligit. Ac si rationem necessario desiderat sermonis usus, quantum acutissimæ mentis exquirat ejusdem sermonis inventio?

Ve-

Verum, perspecta breviter linguæ natura, quomodo agat animus inspiciam, ut ad rem inde concludam. Animus ita est constitutus, ut primas rerum notiones, & peculiarium rerum formas habeat a sensu, nec recedere possit unquam a sensuum consuetudine, & altius assurgere, res a corpore abstractas contemplari, & nova sibi parere ex se se, & vi sua, nisi acceptas antea notiones vocibus illigatas sibi repræsentet, posthabitis sensibus, & tacita quadam oratione eas in conspectu sibi ipse constituat.

Nunquam profecto animus assurgit, agitque ex se se, nec recedit a sensibus, nisi secum ipse vocum notiones exhibentium appositione, & verborum ope loquatur. Rerum objectas species per sensus exquirit, & eas aptis verbis, ac suis vocibus ad se traducit, & inde orationis usu plura invicem secum comparat, judicia instituit, nova sibi cudit, longe recedit a sensu subtilia cogitando, & ratiocinando acutissime, in omni notionum subtilitate maxime viget, & tum ad artium, tum ad scientiarum vel institutionem, vel incrementum ea parit adju-

jumento verborum, & orationis, quæ quidem a sensibus primum exstitere, sed nullam habent nisi remotam cum sensu colligationem.

XXIV. Dum est animus corpore inclusus, agere, suasque vires exerere nequit, nisi aut sensuum viam teneat, aut orationis opem imploret. Nequit animus a sensu se abdicare, nequit subtiliter, acuteque agere, nisi sermonis scientiam calleat, nisi voces rei notiones præ se ferentes adhibeat.

Quid igitur sperandum est, quid expectandum ab homine elingui? Num quis aliquam sibi præter communem verborum viam simplicia contemplandi rationem comminiscatur? Quæ cum in tanta scientiarum luce nondum inventa sit, nondum habeatur, iccirco magis latuisset primos elingues, ac stupidos homines, ac ideo qui novam hanc se se a corpore abstrahendi rationem sibi fingit, rei nostræ, quam urgemus, non valde officere videatur. Verum hæc nova se a sensu abstrahendi ratio, in qua tantopere se jactant adversarii, estne naturalis, an labore, studio, opere, industria, & arte exquiritur,

ritur,

ritur, & perficitur? Si naturalis, cur eam in nobis non experimur? Si opere invenitur, quin aliquid a sensu abstractum sit, dubium certe non est. Subtiliter igitur cogitandum erat homini, ut subtiliter cogitandi viam, & rationem inveniret. Quod quam alienum sit, nemo non videt.

Illud potius ex iis, quæ de animo novimus, quæque de lingua superius indicavimus, deducamus; nequit animus sine lingua recedere a sensu, & in subtili rerum meditatione versari; est altum, & arduum aliquid ratio linguarum, quod a sensu nequeat exsistere, imo longe distat a sensu: non possunt igitur homines sine lingua ad linguæ cogitationem assurgere, multoque minus linguam sine lingua invenire: hinc profecto unam si habeant, alias sibi linguas instituere possunt, & incredibilem sibi fingere varietatem linguarum. At elingues de lingua ne suspicari quidem possunt. Lingua est aliquid, quo homines ad cogitationem assurgunt; non ipsa exsistit ex cogitatione, & scientia; ea est, qua assurgimus ad omnem vim ratiocinandi relictis sensibus. Linguam

quam-

quamlibet quicumque ignorat, ne ulla quidem linguæ dubitatione tangatur.

XXV. Erit rursus fortasse, qui putet casu, & fortuito homines pervenisse ad scientiam linguarum. Ludimur, mihi credite, in rebus plurimis ab hujusmodi hominibus tanta cum casu familiaritate conjunctis.

Casu ne, & fortuna id factum esse dicamus, in cujus intelligentia vel exercitata ratio caligat? Multa prætermittenda sunt, ne sit infinitum; plura tamen diximus, ex quibus, nisi plane decipiamur, intelligat unusquisque, quid in re proposita sentiendum sit.

Profecto loquendi munere destituti qui sunt, cum ad scientias non solum inepti videantur, sed etiam ad ea omnia, quæ non proxime adhærent sensibus, ineptissimi; ab iis certe linguæ inventionem, opusque tantæ, ac tam eximiæ, exquisitæque sollertiæ non exspectemus. Restat ut, quæ pluribus diximus, unum veluti sub aspectum facile inspicienda ponamus.

Ac si sensus, a quo primas rerum notitias petit animus, ad aliquid ipse postea eli-

cien-

ciendum, nunquam eidem animo inveniendæ linguæ principia suppeditat, linguæ cogitationem exsuscitat, viam ejus detegendæ aliquam patefacit; si præterea nihil in rebus, quas sensus usurpat, nihil animus inveniat, quo vel saltem in linguæ suspicionem perveniat; si rursus lingua stare nequit sine notionibus, si notiones nullam habent cum vocibus intimam, ac necessariam colligationem, nec ideo a notionibus colligi lingua potest; si lingua ipsa est, qua animus potest a sensu recedere, cogitatione eminere, notionibus ditissime locupletari, & ideo homines sint sine lingua sensibus penitus mancipati, hebetes propterea in multis, ac plumbei; si hæc ex ipsa linguæ, & hominis consideratione eliciuntur, & alia plurima, quæ dicendo elucubravimus, elingues esse admodum ineptos ad linguæ inventum ecquis est qui non videat, præcipue si lingua ipsa a sensu abstractum aliquid sit, & alienum a sensibus, illudque sit præterea, quo uno veluti adjumento animus potest se a sensu abdicare, & libere meditari per se, & in omni scientia vigere?

Lin-

Lingua a sensu valde remotum aliquid est, lingua eget animus, ut possit se a sensu removere; non est igitur hominis sine lingua de lingua vel cogitare, multoque minus est hominis, qui elinguis aliquando exstitisset, certis, & terminatis vocum sonis linguam formare, ac fingere; sed Deo Parenti Optimo, & Sapientissimo Opifici id esse tribuendum etiam, atque etiam contendo, & ab eo non solum rerum omnium originem, ortumque, sed linguarum etiam inventum, & scientiam esse repetendam, quidquid interim obtrudere nobis velint veteres, & nuperi quidam opinandi licentia distracti, ac ideo de hominis origine sententes penitus inquinate.

PRO-

PROPOSITIO II.

EX METAPHYSICA.

L74

Cum multis de causis virorum omnium mentes divinae mihi, atque aeternae videntur esse, tum maxime quod optimi, & sapientissimi cujusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur.

Cic. pro C. Rabirio cap. X.

Humanus animus est immortalis.

I. INTER tot, ac varias, quæ in medium afferri solent, disceptationes, nulla alia profecto esse debet, quæ auditorum aures sibi magis conciliet, quam quæ animorum immortalitatem tuetur. Nihil enim est quod efficacius moveat homines, & impellat ad mala ferenda æquo animo, & erecto, ad anquirendas virtutes diurno, nocturnoque labore, ad mores optime componendos, quam hujusmodi cogitatio, permanere nimirum animos post hujus corporis dissolutionem nullo unquam tempore morituros. Etsi vero id certum unicuique, exploratumque esse debet, non inutile tamen fuerit, ac supervacuum ea nunc argumenta afferre, quibus hoc non Metaphysicæ disciplinæ tantum, sed etiam Catholicæ Religionis dogma præcipuum & demonstretur apertius, & gravius stabiliatur. Exstitere siquidem, exstitere, qui docuerint unum esse interitum corporum, & animorum, ut ita suis cupiditati-

bus liberius frena laxarent, & facilius æternarum pœnarum metum, qui ex peccatorum conscientia exoritur, si fieri posset, extunderent. Cùm his præsenti exercitatione congredimur, præstantissimam nostri partem ab infima belluarum conditione vindicaturi.

II. Intimum quemdam immortalitatis sensum non ab errore, & fallacia deductum, non aliunde acceptum, sed ab ipsa natura haustum, & expressum non possumus initio statim præterire silentio. Omnium animis ingenita est appetitio, & cura quædam posteritatis. Sentit unusquisque esse aliquid, quod vel post mortem ad ipsum pertineat, idque sentit persuasione animi integre, & incorrupte judicante. „ Quid, ait Cicero (1), „ procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia; quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura cogitare „? Quî fit, ut alteri sæculo profutura maxime curent homines posthabita etiam incolumitatis, hu-

(1) Tusc. Qu. l. 1. c. XIV.

humanæque vitæ custodia? „ Inhæret siqui-
„ dem, nescio quo modo, in mentibus qua-
„ si sæculorum quoddam augurium futuro-
„ rum „ (1). Sed ne externa referam, intro-
spice animum tuum, temetipsum interroga,
te habere aliquid, quod æterno tempore per-
maneat, nisi velis tecum pugnare, judica-
bis. „ Ex quo fit (2), ut sapientissimus
„ quisque æquissimo animo moriatur, stul-
„ tissimus iniquissimo. „ Ex intima hac na-
turæ præsensione & exsistere debuit, & ex-
stitit plena admodum, & constans omnium
populorum, & ætatum consensio de immor-
tali vita animorum; „ omni autem in re
„ consensus omnium Gentium lex naturæ
„ putanda est „ (3).

III. Ac profecto si antiquissimam memo-
riam temporum repetamus, apertum erit, &
manifestum, quod supra proposuimus de
constantia opinionum in unum mirifice con-
spirantium; idque planius lacrymæ, hono-
res, ceremoniæ, officia, expiationes, qui-

d 3 bus

(1) Cic. Tusc. Qu. l. I. cap. XV.
(2) Idem de Senect. cap. XXV.
(3) Tusc. Qu. l. I. cap. XIII.

bus vita functos, ipsorumque corpora antiquitas prosequebatur, apertiusque declarant. Pro veris turpissime probarunt falsa præteritæ ætates opinandi fallacia, & errore etiam temere philosophantium in sede animi cognoscenda: in eo tamen libentibus, amicisque sententiis consensere omnes, animos nimirum corporum vinculis vel laxatos in vitæ sensu, & facultatum exercitatione vigere. Naturæ itaque lex, hominumque consensus vel hebeti patefaciunt animos post interitum permanere; nec ab iis, qui multa peccant malitiose, specimen veritatis desumas. Quid vero si animi simplicem naturam consideres? Perspecta porro natura animi sibi non dissimili, nullo conflata partium additamento, de ejusdem æternitate is solum dubitet, qui ad hæc accedat averso animo, ac repugnante. Ac ut res clarius omnibus se se ostendat, quid sit interitus, cum Cicerone definiam. „ Interitus est, in„ quit (1), quasi discessus, & secretio, & „ diremptus earum partium, quæ ante in„ te-

(1) Tusc. Qu. l. I. c. XXIX.

„ teritum junctione aliqua tenebantur „. Corpora siquidem possunt partium distractione, quibus continentur, possunt, inquam, dividi, corrumpi, dissolvi, discerpi, interire. Non potest animus, cum in eo nihil, nisi simplex, nulla partium conjunctio, nulla a se dissimilitudo, sed singularis quædam natura, segregata ab omni copulatione mortali.

IV. Naturam animi ulterius reputa, & ea, quæ de ejusdem simplici natura dicuntur, recollige. Actuosa animi natura est, nullius ope indiget, & impulsu ad agendum, & ad ceteras vires, facultatesque eliciendas, nec accidere propterea potest, ut ipse a se deseratur. Cicero de Senectute (1), „ cum „ semper, ait, agitetur animus, nec prin-„ cipium motus habeat aliunde, quia se ipse „ moveat, ne finem quidem habiturus est „ motus, cum nunquam se ipse sit relictu-„ rus „. Nihil in animo dispar, & dissimile, nihil non unum, maximeque consentiens. Est igitur in uno quolibet, fidenter

(1) Cap. XXI.

dicam, quod post vitæ excessum maneat, & vigeat. Dissolvi non potest animus, & corrumpi, in nihilum poterit fortasse traduci. *In nihilum nil posse reverti*, protritum est sermone proverbium, quo quidem admisso, non solum animi, sed nec ipsa corpora possunt in nihilum recidere, dissidenti naturalium virium efficacitate. Vultis, quæso, animos semetipsos veluti conficere, & ad miserrimam nihili conditionem redigere? Erratis toto cælo. Nihil sibimetipsi contrarium est. „ Contrarium est, ait Tullius (1), „ quod positum in genere diverso, ab eo„ dem, cui contrarium esse dicitur, pluri„ mum distat „: contrarium vero natura innita comparatione dignoscitur.

V. Quæ porro in animis, ut cetera negligam, disjunctio esse potest, quæ discrepantia ubi nullæ partes, ubi sibi similis, & maxime simplex unitas? Extimam quamdam vim, & efficientiam requiro, quæ possit delere penitus animos, iisdemque tantum interitum machinari, sed eam non inve-

nias,

(1) De Inv. l. I. c. XXVIII.

nias, & vel ingratiis fateare in te esse aliquid æterno tempore duraturum. Nulla enim res est, quæ ad nihilum redigi possit, nisi a causa, a qua pendet ipsa, deleatur. Verum humanus animus a Deo est, ab ipso, tanquam a principio admodum absoluto, pendet, ab ipso servatur: nulla vis, nulla in Mundo est tanta efficacitas, quæ animum parere potuerit, quæque eundem regat, atque sustineat. Animus non ex materia conflatus, sed ex nihilo eductus est, Dei potentia, voluntate, sapientia. Cum vero nihil sit in rebus, quod divinæ potestati possit adversari, & cum Deo causa animi effectrice pugnare; fit inde, ut animus vi nulla, nisi divina, tolli possit, deleri, dissolvi. Maximæ, & infinitæ, reque nulla indigentis ad agendum potentiæ est, efficere non tam ut aliquid e nihilo oriatur, quam ut aliquid in nihilum subito occidat. Sic rem breviter, strictimque concludit Doctor Angelicus (1), „ Substantiæ, inquit, intelle-„ ctuales non potuerunt incipere nisi per „ po-

(1) D. Thomas cont. Gentes Cap. V. n. 13.

„ potentiam primi agentis. Non enim sunt
„ ex materia, quæ potuerit præfuisse; ergo
„ non est aliqua potentia ad non esse ea-
„ rum, nisi in primo agente, secundum
„ quod potest non influere eis esse „.

VI. Potest animos delere penitus effector rerum omnium, & moderator Deus; dubitare non possumus sine scelere. Nunquam tamen exstinguat animos, efficiatque ut animus in nihilum corpore dissoluto evanescat. Id fide cognoscimus, id ipsum asseveranter contendimus gravissimis rationum momentis suffulti. Quæso, quî Deus animum eximia admodum, & præstanti natura insignivit, ut nec a semetipso corrumpi possit, nec a re ulla extrinsecus agente dissolvi? Animi certe constitutio elaborata tam provide, ac sollerter validissimo argumento esse debet, ut credamus opificem sapientissimum secum animorum perpetuitatem decrevisse. Nam quemadmodum ex intimo quodam benevolentiæ sensu, quo ad alios homines ducimur, & cum iis vinculo quasi quodam benevolentiæ conjungimur, legem naturæ quamdam deducimus anquirendæ,

ine-

ineundæque societatis; sic ex ipsa animi indole dissolutionis, & corruptionis experte non immerito arguimus, nos scilicet esse decreto divinæ voluntatis ad immortalitatem effectos. „ Deus, inquit D. Thomas (1),
„ qui est institutor naturæ, non subtrahit re-
„ bus quod proprium est naturis earum.
„ Ostensum est autem, quod proprium na-
„ turis intellectualibus est, ut sint perpe-
„ tuæ, unde hoc eis a Deo non subtrahi-
„ tur „.

VII. Verum Deus non solum animis simplicem omnino, remotamque ab interitu naturam concessit, sed iisdem etiam perpetuo manendi desiderium, studiumque firmæ, solidæque felicitatis ingeneravit. Quis tam impius, & audax id temere homini contigisse arbitretur? Quid magis injurium Deo, quid magis contumeliosum? At quænam est isthæc felicitas, quæ possit cum indita vitæ perpetuitate apte congruere? Eam ne in hisce caducis rebus constituas, ac plane terrestribus? At in iis nulla tranquillitas, nulla pu-

(1) Cont. Gent. 19. Lib. II. cap. LV. n. 13.

pura, & integra voluptas, nulla diuturnitas, sed maxima levitas, sæpe afflictatio, & angustiæ, plerumque satietas; ita ut nisi de perpetua alterius vitæ felicitate cogitemus, hominum conditio sit brutorum conditione deterior. Quid natura tam sapiens & liberalis, tantum opus, tam præclarum, hominem nimirum, tanta industria, & concinnitate elaboravit, & nullis circumscripta aut rerum, aut temporum angustiis illi desideria insevit, si voluisset eidem immortalem tandem vitam adimere?

De animorum immortalitate disserentibus nobis, & rationum momenta colligentibus, se se in conspectum exhibet Divina Providentia, & luculentum suppeditat veritatis testimonium. Sapiens divini Opificis, providensque consilium rebus omnibus, quas effecit, certum quemdam, & statutum finem proposuit. Certam propterea homini vivendi normam præscripsit, societatis jura sanxit, morum, & religionis præcepta firmavit. Quæ porro lex, quæ religio, quæ jura, quodnam officium, quis conscientiæ terror poterit effrenatas hominum cupiditates coercere, easque

a sce-

a scelere revocare, remota spe futuræ felicitatis, sublata futurarum calamitatum formidine?

VIII. Quid? si tot ac tanta homines in violandis legibus, despiciendisque committunt, quid fieret sublatis legibus? Quisque vestrum vel me tacente colligite.

„ Nam si tota mei „ (non gravate in re proposita auditote Prudentium) (1)

„ Nam si tota mei cum corpore vita
„ periret,
„ Nec poterit superesse mei post funera
„ quidquam,
„ Quis mihi Regnator cæli, quis Conditor
„ Orbis,
„ Quis Deus, aut quæ jam merito metuen-
„ da potestas?
„ Ibo per impuros fervente libidine luxus,
„ Incestabo toros, sacrum calcabo pudorem;
„ Inficiabor habens aliquod sine teste pro-
„ pinqui
„ Depositum, tenues avidus spoliabo clien-
„ tes,

„ Lon-

(1) Prudent. contra Symmac. Lib. II. v. 168.

„ Longævam perimam magico cantamine
„ matrem.

Quid si ceterorum testimonia desideres? „ Nunquam, ait Plato (1), mortalium „ quispiam poterit Deum firmiter colere, qui „ animum immortalem non tenet. Nemo, „ inquit Cicero (2), nemo unquam sine „ magna spe immortalitatis se pro patria „ offerret ad mortem . . . Dempta spe im„ mortalitatis nemo non amens esset, qui „ semper in laboribus viveret „.

IX. Novam ostendendæ veritatis rationem ab ipsa divinæ mentis providentia & justitia petitam in promptu habeo. Quis ignorat quanta sit rerum humanarum, atque vicissitudinum inconstantia, quæ, & quanta plerumque perturbatio, quanta confusio? Videtis quotidie castos, & bene moratos homines aut invaletudinis molestia, aut angusta rei domesticæ tenuitate, aut hominum contumeliis circumveniri, torqueri, afflictari. *Videtis latosque diu flore-*
re

(1) Lib. II. de Leg.

(2) Lib. I. Tusc. Quæst. cap. XV.

re nocentes , vexarique pios . Ubi justitia & consilium Divini Numinis providentissimum , si unus sit corporum interitus , & animorum ? „ Si Deus est , ait Chrysosto-„ mus (1), justus est ; quod si justus est, „ pro dignitate tribuit unicuique : si nihil „ post hanc vitam sit, quomodo, quod par „ est , recipiet unusquisque „ ? Ex quibus omnibus fit, ut nemo sanus iis possit assentiri , qui dicere cœperunt cum corporibus simul animos interire , & omnia morte dissolvi. Vigere animos post mortem omni societate corporum , compagibusque laxatos , persuasissimum mihi est ; idque luculenter evincunt rationum momenta ; idipsum validissime confirmat tutissima nostræ Religionis auctoritas .

X. Optimo cuilibet , ac recte instituto & vita & moribus , jucundissima accidit cogitatio de immortalitate animorum , cum speret, eum se laborum, & calamitatum denique fructum, eamque puram, integramque felicitatem, quam frustra in hac rerum hu-ma-

(1) In Orat. de Provid.

manarum levitate sibi constituunt impii, in æterna beatitate consecuturum: quidquid interim effutiant ii, quos conscientiæ stimulant maleficiorum, quos metus exanimat futuræ calamitatis; hujuscemodi nimirum homines, ut se se impune quovis scelerum, & turpitudinis inquinamento collutulent, belluarum, quarum imitantur mores, conditionem, humilitatemque non gravate subirent, & vellent humanos animos, quasi capite damnatos, morte multari; & illud Lucretii (1) si minus ore, saltem corde, animoque commemorant:

„ Hinc metus ille foras præceps Acherontis
„ agendus,
„ Funditus humanam qui vitam turbat ab
„ imo,
„ Omnia suffundens mortis nigrore, nec
„ ullam
„ Esse voluptatem liquidam, puramque re-
„ linquit.

Quos cum Cardinali de Polignac (2) sic interrogem:

„ Tan-

(1) Lib. III. v. 37.
(2) Antilucr. Lib. V.

„ Tantus amor nihili ? tanta est vecordia ?
„ solum hoc
„ Præmetuunt cæci , ne mens , compage
„ soluta ,
„ Duret adhuc nimium vivax , bustoque
„ superstes
„ Evolet ?

Finem faciam cum sapientissimo omnium Salomone (1). „ Lætare ergo, juvenis, in „ adolescentia tua, & in bono sit cor tuum „ in diebus juventutis tuæ , & ambula in „ viis cordis tui , & in intuitu oculorum „ tuorum, & scito, quod pro omnibus his „ adducet te Deus in judicium „.

(1) Eccl. XI. v. 9.

PROPOSITIO III.

EX ETHICA.

Natura nostra ut esset, Deum habet auctorem; procul dubio, ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem; ipsum etiam, ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.

Aug. de Civ. Dei Lib. II. Cap. XV.

Ad implenda legis præcepta, & vitæ officia non satis per se valet hominis natura, nisi superiore aliquo præsidio fulciatur.

Omnis fere, quæ de animo via, & ratione suscipitur, inquisitio maximis solet esse difficultatibus obnoxia. De se cogitanti, seque intuenti animo illud accidit, quod corporeis oculis externas rerum formas inspicientibus solet usuvenire; nimia profecto rerum videndarum vicinitate obtunditur, impediturque acies oculorum, ut res ipsas commode videre non possit, & earum species feliciter usurpare. Nimium ipse sibi adhæret animus, nimiaque ipse secum affinitate conjungitur: ex quo de se non ex rei veritate, sed pro dissimilibus, quibus movetur, incitationibus, pro variis, quibus agitur, vicibus alia, atque alia ratione judicat. Hinc homines, ut omni scelerum inquinamento se se impune contaminent, animos e sua dignitatis sede dejiciunt, eosque detrudunt

ad conditionem non solum belluarum, sed ad illam etiam corporum ceterorum. Quos satis redarguit præter cetera vis illa mentis ac rationis, „ per quam consequentia cer„ nit, causas rerum videt, earumque pro„ gressus, & quasi antecessiones non igno„ rat, similitudines comparat, & rebus præ„ sentibus adjungit, atque annectit futu„ ras (1) „, vis, inquam, illa mentis, & ingenii satis illos redarguit, cogitque sola illos, nisi contra studia naturæ plane obduruerint, de sententia decedere, eosque erigit in cogitationem dignitatis suæ.

II. Quamquam illud etiam cavendum, & omni cura providendum est, ne plus æquo præstantiam animi exaggerantes in sententiam contrariam non sine periculo, & errore labamur. Exstitere profecto, qui ut & impudentius leges, societatis officia, Religionem, Fidem contemnerent, de hominis animo senserunt superbe admodum, & magnificentius, quam par est, prædicarunt, tan-

(1) Cic. de Off. lib. I. cap. IV.

tantum virium animis adjudicantes, quantum eisdem satis est, ut semetipsos habeant rectissime in omnibus, & possint omnia abunde implere vitæ munia, jus suum cuique tribuere, & quidquid ab homine natura desiderat, exequi viribus tantummodo naturalibus. Quos quanto sint in errore, quotus quisque est, qui, si velit ex intimo ipsius animi sensu ingenue judicare, qui, inquam, vel sola ratione non videat? Et hoc illud est, quod ipsi in præsens unius veritatis studio, non levia naturæ indicia colligentes proponimus, & dicendo persequimur.

III. Rem propositam aggredientibus, & humanæ imbecillitatem naturæ indagantibus, illud nobis accidit maxime incommodum, quod ab animo de ipsius animi infirmitate judicium exquirimus. Quod si ipse errat in iis quæ ipsum tam proxime non attingunt, quam ipse se, & si intimo quodam, & ingenerato sui amore ducitur ad judicandum, quid tuti, probati, ac ingenui ab ipso de sui infirmitate habere posse confidimus? Quid profecto ab ægro animo, morbisque oppres-

so sperandum est, qui quo magis laborat, minus tute potest, & minus apte judicare? Verum quidquid sit, cursim notemus ea, quæ videmus in vita hominum plerumque contingere, ex quibus, si generatim ex effectibus causa colligitur, appareat, quid valeat, quanti sit ad homines optime instituendos hominis ipsius natura. Quod si in pluribus natura deficiat, & minus recte se habeat, (licet plurima occurrant in quovis homine, quæ legi, quæ rationi, quæ vitæ integritati respondeant, quin nos subtilibus Theologorum quæstionibus implicemus, aut ad ea confugiamus, quæ longiores habent, & difficiliores explicatus) illud certe legitima consecutione deducitur, in ea scilicet natura, quæ labitur in agendo, in cognoscendo decipitur, quæ hominem non raro a recto distrahit, & in præceps abripit, non habere hominem tutissimam actionum suarum ducem, atque moderatricem, nec eidem sibi esse valde fidendum, sed aliunde petenda sibi esse in agendo præsidia, & votis omnibus imploranda superioris naturæ suffragia. Qua in re non tam subtili ratioci-

na-

natione, quam diligenti & ingenua humanæ naturæ observatione, ad id quod volumus, indigemus; quo si non ex toto, ex parte saltem cognito, & persuaso, unusquisque majore animi docilitate se se instituendum tradat illi Religioni divinitus patefactæ, qua se sentit indigere, qua etiam in re proposita plenius, & uberius doceatur.

IV. Verum de ipsius naturæ imbecillitate in ipsa natura inquiramus, & quid ex ipsa deducendum sit, ratione indagemus, animo præjudicatis opinionibus vacuo, & de re ex re ipsa ingenue, & integre judicante. Porro naturam hominis ejusdemque conditionem, qualis modo est, & modo nobis se se ipsa sistit, sibi unusquisque proponat ante oculos, ex quo statim appareat, quod vel ethnicis Philosophis innotuisse manifestum est; depravatam scilicet, & corruptam aliquo veluti infortunio fuisse naturam, eandemque gravissimo aliquo late pertinente quasi morbo misere laborare. „ Homo, ait apud Augustinum (1) Tullius, „ homo non ut a

„ ma-

(1) Lib. IV. cont. Pelag.

„ matre, sed a noverca natura editus est in
„ vitam corpore nudo, & fragili, & infir-
„ mo: animo autem anxio ad molestias, hu-
„ mili ad timores, molli ad labores, pro-
„ no ad libidines: in quo tamen inest tan-
„ quam obrutus quidam divinus ignis inge-
„ nii, & mentis „. Quo genere morbi æ-
grotet, qua labe tam præpostera inficiatur,
non est hominis inquirere; aliunde isthæc
petenda cognitio: verum, quod unum ad
nos attinet, eundem in morbum incidisse,
& vehementer ægrotare certissimum est, &
nimis etiam exploratum.

V. Quod ut eluceat apertius, hominem
ipsum parumper inspiciamus. Hominem pro-
fecto ecquis non videat & intelligentia
pollere ad veritatem cognoscendam, & vo-
luntate donari ad appetendum bonum? Ex
quo omnes ætates, nationes omnes, omnes
gentes incommodi aliquid, aliquid calami-
tatis, & infortunii accidisse non tam verbo,
quam certissima, eaque lacrymabili expe-
rientia doctæ ultro fatentur, & claro admo-
dum suimetipsarum, ac illustri sane exem-
plo testantur. Quid, quæso, ea omnia recen-

seam

seam, quæ gravissimam intelligentiæ depravationem, infirmitatemque declarant? Ea quis ignorat? Quædam tamen indicabo, ut ad rem propositam inde concludam. Veterum tantum, quæ in eorum monumentis tradita habentur, errata, commenta recensebo, eaque solum, quæ ad propositum apprime faciunt; tum quia unusquisque ex iis facile videre potest, quid generatim deducendum; tum quia eadem est natura in homine; tum postremo, quia tutius ex veterum cogitatis quid in veritate detegenda hominis natura valeat, arguimus. Plurima quidem ipsi sine fallacia cognoscimus, quia ducem habemus, si ea uti volumus, quæ præsto nobis est, quæ nos non sinit dubios, & ancipites sortiri quid dicamus, nec in inquisitione incertos vagari, quæ nos errantes facile traducit in viam; ducem, inquam, habemus Religionem divinitus patefactam.

VI. Quam absurda porro de Deo, quam ridicula quam inepta veteres docuerint, satis eorum nobis scripta declarant. Quid illa innumerabilium Deorum quasi sartago? Quid

si

si illos humanorum scelerum auspices, & patronos effecerint? Transtulerunt, ait Tullius (1), humana ad Deos, *divina mallem ad nos*. Quid vero sentiunt illi, quos sapientiæ magistros verebatur antiquitas, quid, inquam, sentiunt de principio illo spiritali, se se movente, & actuoso? Quid de eodem, quoad vitæ perpetuitatem, vel post interitum? Quot eorum hominum dissimiles inter se, a veritate aberrantes, discrepantesque sententiæ? Plures, si non omnes, veterum Philosophorum de animo opinationes collegit Tullius in secunda Tusculanarum, ubi agit data opera de immortalitate animorum. Quid certi ac tuti habemus apud veteres de fine ultimo, & extremo humanarum appetitionum? Quid confirmati, & omnium opinione probati reperire est de ortu naturalis juris, ejusdemque sanctione apud homines, qui de Deo sensere tam præpostere, & inquinate?

VII. Plurima illos quidem solo naturali lu-

(1) Tusc. Qu. l. 1. c. XXVI.

lumine cognovisse quis audeat inficiari? Verum ita cognoverunt, quasi inter tenebras micantem naturæ lucem arripientes, semper tamen in pluribus hærentes, ut facile possent dissentientibus aliis ipsi sibi diffidentes de sententia dimoveri; plurima cognoverunt, ita tamen, ut cognitio parum admodum ad agendum conferret; plurima cognoverunt, at ipse corruptam naturam contendo, non sublatam. Qui porro de Deo, de fine hominis ultimo, de jure nâturæ non apte in omnibus, nec firmiter opinati sunt, putandumne eos apta semper de moribus docuisse, & constanter se se habuisse in tradendis vitæ præceptis? In pluribus, fateor equidem, agam ingenue, apta tradiderunt, & congruentia naturæ. Verum populos, integrasque nationes graviter deliquisse, quis nescit? Arripiebant ad tempus, quod in ipsa animi tranqûillitate docet unumquemque ipsa natura, sed mutatis rerum vicibus, quæ prius ipsi probaverant, respuebant, & more magis Academico disputantes, quam certis, tutisque principiis veritatem tuentes, utrinque momenta colligebant, ut in agendo

do unusquisque sibi eligeret, quod sibi magis accommodatum arbitraretur.

VIII. Hæc contingere debuisse, quis non videat, imo non sentiat? Hæc revera contigisse is solum neget, qui veterum monumenta ne primoribus quidem labris attigerit. Nobilissimam hominis originem ex ipsa dignitate naturæ arguit, & defendit Tullius; silvestres idem ex sententia Epicuri facit homines, dispalatos, exleges, sine domo, sine cultu, sine societate, cum aliis in locis, tum ubi disputat de præstantia, & efficacitate eloquentiæ: modo idem nemini jus esse alios lædendi contendit, alibi vero vindictæ justam excusationem prætexit. Furtum aliis placuisse scio, apud alios fuisse in amore senio confectos parentes de medio tollere; scio alios solitos fuisse se se igni tradere comburendos, eo quod probro haberent senectutem exspectare, mortemque maturam. Quot mentis præpostere ratiocinantis commenta simili in genere non dissimilia? Verum quid plura recenseam, & enumerem? Quæ vel leviter in historia rerum eruditus in conspectu ipse sibi constituet.

IX.

IX. Hæc ipse cursim exhibui; plura & majora tum vetera, tum recentia colligat secum animo non qui obstinate dissentit, sed qui vera desiderat de hominis natura ex ipsa natura cognoscere. Quid illa quovis tempore opinandi de rebus etiam ad mores pertinentibus dissensio, & discrepantia significat? Ecquis nesciat homines semper inter se, si non in primigenis naturæ præceptis, in iis saltem, quæ inde consequuntur, magnopere dissensisse? Ex quo alterutros saltem in errorem lapsos esse defectu judicii nemo non videat. Uberrimus hinc se se nobis campus aperit ad disputandum, sed id totum lucidius appareat, cum de infirmitate voluntatis ad agendum, & de cupiditatum temeritate, & insolentia quædam ad rem propositam indicabimus. Interim ex iis, quæ hactenus summatim attulimus, sic mihi liceat ratiocinari.

X. Si in agendo, cum nihil ipsa videat, rationis, & intelligentiæ lumen voluntas adhibet, si alia præ aliis, quæ voluntati proponit intelligentia, potest quidem eadem voluntas eligere, nequit tamen ipsa in igno-

tum ferri, ignoti desiderio cieri, id, quod ignorat, amplecti, & si uno verbo voluntatis actio non dicam rectæ rationi, quod utinam contingeret, (videt enim plerumque meliora voluntas, eaque probat, tamen sequitur deteriora; sed quidquid sit, id alias) semper tamen cognitioni respondet, putemusne voluntatem habere in agendo ducem in intelligentia tutissimam, in intelligentia maximis, iisque gravissimis erroribus obnoxia, nulloque ideo aliunde petito egere ad agendum præsidio? In tanta apud homines opinandi licentia, fallacia, temeritate, quid a voluntate sperandum est, quid in vita exspectandum? Illud nimirum quod indicat ipse Tullius in quarta Tusculanarum Disputationum (1): „ Quemadmodum, inquit, „ cum sanguis corruptus est, aut pituita re- „ dundat, aut bilis, in corpore morbi, æ- „ grotationesque nascuntur: sic pravarum „ opinionum conturbatio, & ipsarum inter „ se repugnantia sanitate spoliat animum, „ morbisque perturbat „.

XI.

(1) Cap. X.

XI. Habemus quidem ad discutiendas mentis tenebras, ad veritatem tuto aperiendam, e cælo lapsam, late emicantem, quavis scientia tutiorem doctrinam, quæ maximo, fateor equidem, ad cognoscendum nobis solet esse adjumento. Nullone alio opus esse præsidio homini vitam hanc degenti putemus? Nonne rationi in pluribus caliganti, septæ tenebris, fallaciis obnoxiæ scientia isthæc divina proponitur amplectenda? Nonne intelligentiæ absonis sæpe vocibus distractæ inculcatur vox isthæc emissa divinitus? Maximo, ut loquar ex animo, in periculo est divina isthæc disciplina, illudque timendum, ne distractus animus eidem non auscultet, vel præpostera interpretatione ad sua cogitata eandem traducat, vel illam penitus despectui habeat, nisi ea insuper vis intus adhibeatur animis, quasique medicina, quæ captivet intellectum in obsequium fidei. Non hæc ipse ad rei ostentationem fingo, sed nota loquor, invitus tamen, quod sequius sit, & manifesta.

XII. Quod si, ut par est, docilem Religioni adhibeamus animum, ejusdemque do-

cumentis justam venerationem præstemus, obsequium, fidem, nonne ex eadem ipsa nos ad implenda naturæ præcepta Divinæ opis adminiculo indigere manifestum sit, & ultro omnibus persuasissimum? Quid si ab intelligentiæ imbecillitate ad voluntatis depravationem, & corruptelam veniamus? Quæ, & quanta se se nobis offert dicendi copia, ut difficilius sit initium, quam exitum invenire? Tot nimirum occurrunt imbecillitatis humanæ testimonia, quot homines, imo plurima in quovis homine. Illud initio esse animadvertendum intelligo, eam esse intelligentiæ, & voluntatis cognationem, & inter utramque affinitatem, ut quemadmodum una ex alterius incolumitate allevamentum sentit, & unius perfectio ad alterius perfectionem conspirat, & se mutuo ambæ perficiunt; sic altera ex unius ægritudine, & corruptione quotidie magis corrumpitur, & unius in alteram pernicies redundat, & mutuis, ut ita dicam, vulneribus se se conficiunt. Hinc profecto, nisi ab altiore principio, & tutiore, quam sit hominis natura, lumen ad cognoscendum haberemus, vi-

res,

res, & præsidia ad agendum, ita ferente hominis conditione sane miserrima, impeditior in dies evaderet agendi ratio, ac via, & obscurior cognitio rerum ad mores præcipue pertinentium; quod sensus cujusque intimus, si velit sincere loqui, ultro fateatur, quod magis ex iis etiam clarius eluceat, quæ cursim sumus allaturi, ac brevius, quam res nullis prope terminis circumscripta desideret.

XIII. Ad bonum, ecquis non sentit?, continuo impellit unumquemque natura. Sentimus in omni vita, in qualibet actione boni desiderio nos moveri, & incendi. Verum hoc etiam expérimur, nos scilicet ea respuere, quæ veri boni notioni respondent, ea amplecti, quæ sunt homini maxime nocitura. Rationi omnem dedit natura in hominem dominatum, & agendum nobis esse secundum rationem prædicamus quidem in scholis, in vita non item. Hinc eo usque audaciæ aliquando devenimus, ut rationem ad fastidium usque jactemus in iis, quæ a ratione sunt maxime aliena, & sano omnium sensu, ac judicio repudiata. Opti-

mum, & præstantissimum quoddam extremum, quo suas omnes homo actiones instituat, homini proposuit rerum omnium opifex, ac parens natura, quæ tum propter eminentem, præstantemque dignitatem sui in creandis rebus, ac præcipue in condendo homine finem spectare debuit altissimum, convenientemque sibi, ac propterea ad semetipsam omnia dirigere, omnia facere propter semetipsam. At quî fit ut illud, quod solum satiare potest desideria humanæ infinitum cupientis naturæ, respuant homines, & caduca, incerta, cito labentia bona intento studio persequantur, quæ relinquunt plerumque causas pœnitendi, non recordandi?

XIV. Ad virtutem aptos & propensos nobis animos natura insevit, virtutum etiam semina nobis eadem ingeneravit. Ex quo fit, ut de virtute magnifice prædicemus, & eam verbis extollamus quam splendidis, eamque vel in hoste diligamus, justamque illis, qui in ea excellunt, venerationem non raro, cultumque exhibeamus. Quid, quæso, si a contemplatione virtutis ad vivendi rationem veniamus? Quam difficile, & arduum

est

est homini virtutem induere, eamque servare custodem actionum omnium in omni vita? Omne studium, curam omnem in eo plerumque collocant homines, ut naturæ sensus cum sensu ipsius pravitatis concilient, & naturæ inclinationem ad pravitatem convertant: & hinc vitiis ipsis virtutis nomen tribuimus, & turpissimis rebus honesta nomina imponimus. Plura quidem duce ratione apta vitæ, & convenientia cognoscimus, eaque ad scientiæ ostentationem aliquando, aliquando etiam ex intima animi ipsius persuasione exaggeramus, sed, nescio quo fato, eadem in agendo negligimus. Ex quo fit, ut plures reperire sit præceptores morum atque magistros, quasique vivendi canonas, qui a docendo ad agendum traducti inopes reperiuntur.

XV. De iis jure queritur Tullius, cum quorum vita mirabiliter pugnabat oratio. Quod quidem illi non immerito videbatur turpissimum. „ Ut enim, sic ille in Tusculanis Disputationibus (1), „ si grammati-

f 3 „ cum

(1) Lib. II. cap. IV.

„ cum se professus quisquam barbare lo-
„ quatur, aut si absurde canat is , qui se
„ haberi velit musicum , hoc turpior sit ,
„ quod in eo ipso peccet , cujus profitetur
„ scientiam: sic Philosophus in ratione vi-
„ tæ peccans hoc turpior est , quod in of-
„ ficio, cujus magister esse vult , labitur ,
„ artemque vitæ professus delinquit in vi-
„ ta „ . Quod quidem ostendit magis homines depravatos quoad agendi, quam quoad cognoscendi facultatem, ut asseveranter contendit Divus Thomas (1): „ magis est, ait
„ ille, natura humana corrupta quantum ad
„ appetitum boni , quam quantum ad co-
„ gnitionem veri „ ; & si humana mens dux optima non est habenda in cognoscendo, quæ sæpe fallitur, quanto magis alieno indigemus præsidio ad agendum? Hæc fieri, hæc non raro contingere unusquisque rerum experientia vel leviter edoctus testis mihi sit locupletissimus.

XVI. Longum esset, & infinitum velle omnia dicendo persequi, præcipue cum nota sint

(1) D. Th. 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 3.

sint omnibus, & ita aperta, & cognita, ut ea quisque facilius videat tacite cogitando, quam quod possit oratione aperire. Plurima prætermittenda sunt, sed tamen plurima persequamur. Persequamur, inquam, & ea, quæ homini, quo minus recte agat, impedimento sunt, in ipso homine perquiramus. Unde, quæso, tanta in recte agendo difficultas, & labor; unde illud veri boni, & rationi, mentique apti, & convenientis quasi fastidium; unde tanta in homine ad pravitatem propensio, & inclinatio, ut si ipse sibi relinquatur, se seque auscultet, in omne scelus se se proripiat, atque projiciat vel reclamante intus natura? Nimia profecto in homine sensuum consuetudo, ac familiaritas, quæ sicut in causa est, ut in maximos, eosque gravissimos errores quoad veritatis inquisitionem labamur, cum velimus rationis cogitata ad sensus exquirere, sic etiam efficit, ut a veri, bonique appetitione avocemur, quoties boni rationem sensuum judicio metimur.

XVII. Ex hoc nimirum fonte tot inter homines dissidentes inter se, minimeque sibi

constantes, cum sensus non eadem semper desiderent, & in eo uno conveniant, ut a veri boni notione longe recedant, tot, inquam, inter homines, & in singulis hominibus opinationes, studia, cogitandi, agendique dissidia, & quasi monstra repetimus. Maximam sane (utinam secus se se res haberet) maximam, inquam, in omnium animos vim sensus exercent, ut cetera ne in bonis quidem habeantur, quæ sensibus non se se commendant, eosque non blande titillando deliniunt. Quæ hinc, & quanta turpium voluptatum ad sensus pertinentium lenocinia, quam vehemens illecebra? Quid unquam ipse afferre possim, quod quisque per se quotidie non possit vel me tacente intueri? Quid cupiditatis motus illi nimium aversi a ratione, inimicissimi mentis, vitæque tranquillæ? Qui quidem motus, quæ cupiditatis incitationes modo vehementer impetum faciunt in animum, modo eos ad se blandissime alliciunt, modo obducta facie imaginem exhibent assimulatæ virtutis, modo aperte invadunt animos, & jaciunt in virtutes contemptum, & debitum virtuti

ho-

honorem sibi per vim extorquent, & per summam audaciam, modo virtutem aliquam quasi comitem, quæ vel invita cupiditati cogitur adhærere, sibi assumunt, ut aliquam habeant ex ea inde commendationem, modo ita omnia miscent, perturbant, invadunt, ut mens e sua sede dejecta cernere vix possit, quod intus natura suadet, ita animos e statu dimovent, ut non procul absint ab insania, ita sensim tam alte radices agunt, ut ea solum probent ipsi, quæ cupiditatibus blandiri videantur, & sanctiora quæque, & antiquiora tanquam obsoleta, & homine indigna respuant impudenti & illiberali fastidio. Non minus profecto sunt in sua potestate, qui cupiditatibus jactantur, quam qui maritimis fluctibus. Qua in re, ne plura persequar, & ne in re minime dubia testibus utar non necessariis, quædam tantum proferam e Tullio antequam concludam.

XVIII. „ Ex cupiditatibus, inquit (1), „ odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bel-

„ la

(1) De Fin. lib. I. cap. XIII.

„ la nascuntur. Nec hæ se se foris solum
„ jactant . . . . . . sed intus etiam in ani-
„ mis inclusæ inter se se dissident , atque
„ discordant . Atqui (1) pugnantibus , & con-
„ trariis studiis , consiliisque utens animus ,
„ nihil quieti videre , nihil tranquilli po-
„ test . Cupiditates , inquit (2) , sunt
„ in lubrico , incitatæque semel proclive
„ labuntur ; ipsæ se impellunt, ipsaque sibi
„ imbecillitas indulget , in altumque pro-
„ vehitur imprudens, nec reperit locum con-
„ sistendi „ . Eædem etiam paulatim con-
scientiam, quæ magnum pondus habet , ut
dissidentes a recto in viam revocet , ipsam
exstinguunt , ita menti tenebras obducunt,
ut nusquam naturæ lumen appareat . Ex
quibus omnibus prava agendi consuetudo
exsistit , & illi maxime perniciosa , cui
inest , & ceteris omnibus eo vehemen-
ter infesta , quod facile exemplis ducuntur
homines , & impune putant posse suæ ipsi
indulgere infirmitati, si quos habeant, quos
imi-

(1) Ibid. cap. XVIII.

(2) Tusc. Qu. l. IV. cap. XVIII.

imitentur. Mala, inquam, exsistit consuetudo, cujus, teste Tullio, (1) „ tanta est corruptela, ut ab ea tanquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturque, & confirmentur vitia contraria „.

XIX. Sunt quidem semina innata virtutum, sed nostros animos abducit a bono, eosque in cognoscendis, multoque magis in præstandis vitæ officiis perturbat opinionum varietas, hominumque dissensio, efficitque, ut in tanta opinandi licentia nihil nos certi a natura habere putemus, quod sequamur. Animis undique tenduntur insidiæ, vel ab iis, qui teneros, & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis. In tanta itaque pravitate naturæ, cui tot male agendi, violandique legem incitamenta undique suppetunt, tot exempla

(1) Lib. I. de Leg. cap. XII.

pla, putemusne ipsi nobis sufficere, nostræ nos satis posse infirmitati, morbisque mederi, viam semper rectam insistere, omnia vitæ munia adamussim semper exequi, satis ipsi nobis consulere posse tot, ac tantis hostibus intus, ac foris in perniciem animi conspirantibus? An potius dicamus aliquo nos, eoque maximo, atque certissimo egere in vita præsidio, veluti duce, & adjutore, qui tarditatem moveat, robur adhibeat, infirmitatem sustentet? Quo igitur confugiendum, quid consilii capiendum, unde quærenda medicina est, unde petenda sanatio? In homine habetur animorum moderatrix ratio, sed in ea error, & cæcitas; habetur libera agendi voluntas, at in ea ad malum inclinatio, & pravitas; plura alia sunt in homine quasi fulcimenta ad recte agendum, at in omnibus infirmitas, depravatio, inconstantia. Multum valeat ipsa virtus; at qui ad virtutem? Hoc illud est quod quærimus.

XX. Unum profecto, & idem est bene agere, legis præcepta servare, & esse in virtute. Virtus iisdem omnino vicibus, & in-

infortuniis, ac natura subjicitur. „ Si au-
„ tem, dicam cum Tullio (1), virtus sub-
„ jecta sub varios, incertosque casus famula
„ fortunæ est, nec tantarum virium est,
„ ut se ipsa tueatur, vereor nè non tam
„ virtutis fiducia nitendum nobis ad spem
„ beate vivendi, quam vota facienda vi-
„ deantur „. Aliunde igitur quærenda est
recte agendi securitas. Unde quæso? Non
id volumus in præsentia. Satis nobis est si
superiore aliquo adjumento ad agendum ho-
mines egere se sentiant, & intelligant. U-
num hoc proposuimus, & ut potuimus, ha-
ctenus agitavimus, & hæc rei nostræ sum-
ma summarum est. Infirma nimium, & vi-
tiata est hominis natura; caligat in pluri-
bus ratio; exlex quotidie magis insolescit
præstigiatrix animorum cupiditas; error, &
pravitas abripit secum animos volentes pa-
lam, nolentes furtim; semina quidem sunt
innata virtutum, sed ea inficit, atque cor-
rumpit magister, ut ait Tullius, populus,
& omnis undique ad vitia consentiens mul-
tu-

(1) Tusc. Qu. lib. V. cap. I.

titudo ; ex quo fit, ut animus gravissimis quasi morbis laboret infirmus : opibus hinc omnibus, viribusque, ut nobismetipsis mederi possimus, elaborandum est, & foris etiam petenda sunt præsidia superioris medicinæ, planeque cælestis, cum animus de se ipse tum judicet, cum idipsum, quo judicatur, ægrotet. Hæc autem non contingere, & minime haberi in homine, aut nos eadem plus æquo amplificasse ad extorquendum assensum is solum dicat, qui aut naturam humanam non ferat præ se, quod sane ridiculum, aut qui naturæ infirmitatem morbumque non sentiat, quod in corporibus etiam non raro contingit. Verum qui gravissima aliqua infirmitate oppressus vim morbi non sentit, morbi ipsius furore correptus, sed se valere arbitratur, gravius, & periculosius ægrotat.